

posita quacumque inspiratione et illuminatione, potentia non potest inchoare actum, nisi prædeterminetur a solo Deo, parum necessaria est specialis motio per inspirationes et illuminationes. Nam quacumque ratione objectum sit sufficienter applicatum, potens est Deus ad determinandam voluntatem; ergo omne aliud genus prævenientis gratiæ præter doctrinam et hanc determinationem, vel est impertinens, vel saltem non necessaria. Unde cum eadem determinatio sit necessaria ad actus naturales, non relinquitur specialis necessitas alterius vel majoris gratiæ ad supernaturales actus. Quam rationem iterum atque iterum inculcabitur ac ponderabimus in tribus capitibus sequentibus, quia magni momenti illam esse censemus in hac materia.

Venio ad aliud caput earum rationum quibus directe ostendi potest veritas ac certitudo nostræ sententiæ. Possumus autem duas partes in nostra sententia distinguere: una est affirmativa, qua asserimus necessariam esse vocationem divinam congruam et accommodatam conversioni, seu consensui præstando, quam censemus esse auxilium efficax præveniens, et habere semper adjunctum auxilium efficax concomitans. Et in hac parte probanda nunc non immoramur, tum quia id sufficienter præstitimus in lib. 3 de Auxiliis; tum etiam quia, si prædeterminatio physica de medio tollatur, nemo de veritate hujus affirmatiæ partis dubitabit. Altera ergo pars hujus sententiæ est negativa; dicimus enim efficaciam gratiæ non consistere in aliquo auxilio vel motione, quam solus Deus voluntati imprimat, ut illam sola sua vi et efficacia physice prædeterminet ad singulos actus. Credimus enim et pro certo habemus non dari tale auxilium gratiæ. Ut ergo hæc pars negativa directe ostendatur, sufficiens ratio esse debet, quia contraria sententia non ostendit necessitatem aut utilitatem illius auxilii. Nam in re adeo lubrica et supernaturali nihil credendum est, quod vel revelatum non sit, vel ex principiis revelatis per urgentissimas rationes eliciatur. Multoque minus credendum erit si afferat incommoda quæ aliis principiis fidei repugnare videntur. Utrumque autem in contraria sententia invenitur, quod quidem quoad posteriorem partem satis constat ex rationibus hactenus factis; quoad priorem vero patebit ex secunda parte hujus capituli, referendo contrarias rationes, et non

solum eis facillime respondendo, sed etiam demonstrando nullius momenti esse, quod etiam de testimoniis Scripturæ, Conciliorum, Patrum et Theologorum in sequentibus capitulis faciemus.

Præterea, rationes quæ factæ sunt deducendo ad inconveniens possunt magna ex parte reduci ad directam ostensionem ac demonstrationem. Nam voluntas quoties libere operatur, se determinat; ergo non potest supponi determinata ab alio; quia quod determinatum jam est non indiget nova determinatione; imo nec videtur esse capax illius; quia determinatio solum habet locum circa rem indifferentem. Primum antecedens patet, quia totus usus libertatis est in ipsa determinatione, qua ab intrinseco et per proprium dominium voluntas se flectit in hanc partem potius quam in aliam; ergo si voluntas privetur effectiva determinatione sui, privabitur usu libertatis; ut ergo libere consentiat, necesse est ut se determinet ad consensum. Est autem, ad evitandas calumnias, attente observandum nos non dicere voluntatem, cum libere se vult determinare, sola sua efficacia sine concursu vel auxilio Dei id facere, id enim hæreticum esset; sed dicimus simpliciter se determinare, quod omnino verum est, quia ipsa efficit et vult determinationem suam, etiamsi sine auxilio Dei illam non faciat, sicut homo se movet, etiamsi non efficiat motum sine concursu Dei, et se disponit ad remissionem peccati, etiamsi non efficiat talem dispositionem sine auxilio gratiæ. Et ideo in consequentia non inferimus non determinari a Deo, sed non supponi prædeterminationem a solo Deo. Quando enim voluntas se determinat, etiam determinatur a Deo cooperante cum illa; non tamen prædeterminatur a solo Deo per aliquid prævium, quod Deus sola sua actione in illam imprimat, in quo est totus punctus hujus controversiæ, ut saepe diximus.

Sed dicit aliquis primam illationem non esse solidam. Probatum ergo, quia repugnat voluntatem se determinare in actu secundo, nisi quando in illo priori, in quo supponitur ad actum secundum, est indifferens et potens ut se in hanc vel alteram partem flectat; ergo necesse est ut supponatur indeterminata in actu primo. Et hac ratione, cum ignis incipit calefacere, non potest dici se determinare ad calefaciendum, quia sua natura fuit ad hoc determinatus, etiamsi illa determinatio, ut antecedit actionem, sit solum in actu pri-

mo. Et voluntas in patria non se determinat ad amandum, quia supponitur determinata in actu primo ex ipso pondere naturæ vel charitatis. Ita ergo in præsentia, si supponeretur voluntas determinata in actu primo per auxilium a solo Deo impressum, etiamsi eliceret actum secundum, non se determinaret ad illum; sed ipso pondere auxilii traheretur ad illum determinate eliciendum sine dominio flectendi se ad alterutram partem, in quo consistit libera determinatio sui.

Ultima ratio confici potest ex iis quæ in præcedenti capitulo late tractata sunt. Quia nulla actio intelligi potest a solo Deo procedens, et aliquid imprimens in hominis voluntate, quo ipsa determinetur seu applicetur efficaciter ad agendum a solo Deo; ergo non potest dari aut intelligi auxilium prævium de se efficax eo modo quo ponitur ab auctoribus contrariæ sententiæ. Consequentia evidens est ex iis quæ, in primo et tertio capite, de puncto controversiæ, et diversitate, ac sensu opinionum diximus. Antecedens autem probatur, quia talis actio non potest esse vitalis respectu hominis; quia non est effective ab ejus voluntate, nec aliqua potentia vitali ejus, sed a solo Deo fit, et in voluntate mere passive recipitur, quod est contra rationem vitalis actionis; ergo necessario esse debet illa actio in re ipsa distincta, tam ab omnibus actionibus excitantis gratiæ, quam ab actuali concursu seu influxu cooperantis gratiæ, quem Deus præbet ad consensum; nulla autem talis actio Dei ita distincta, et quasi media inter has duas gratias, ponenda est, nec facile intelligi potest stantibus aliis principiis fidei; ergo. Major quoad priorem partem probatur, tum quia actiones excitantis gratiæ sunt vitales motiones intellectus vel voluntatis, ut etiam adversarii fatentur; tum etiam quia, ut ipsimet etiam aiunt, illi actus excitantis gratiæ de se possunt et solent tempore antecedere liberum voluntatis consensum, et a fortiori hanc actionem, qua Deus determinat voluntatem ad consensum; quia hæc ponitur prior natura et simul duratione cum consensu; ergo necesse est ut in re sit distinctio inter talem actionem et prævios actus gratiæ excitantis; nam ea quæ temporis duratione separantur vel separari possunt, in re ipsa distinctionem habere necesse est.

Alteram vero partem ejusdem majoris, de distinctione in re inter hanc actionem et concursum Dei ad consensum, probatur. Tum quia concursus Dei non distinguitur in re ab actione per

quam fit consensus. Hæc autem actio prædeterminativa Dei est in re ipsa distincta ab actione, per quam fit consensus; ergo etiam est distincta a concursu Dei circa consensum. Consequentia est evidens; nam quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se; et e converso, quæ ita comparantur ad unum tertium ut unum distinguatur ab illo, et non aliud, non possunt habere inter se identitatem; si ergo concursus Dei in re non distinguitur ab actione consentiendi, et actio prædeterminativa Dei est distincta in re ab actione consentiendi, necesse est ut in re ipsa sit distincta a concursu Dei circa consensum. Alioquin illæ duæ actiones identificarentur uni tertio, scilicet, concursum Dei circa consensum, et non inter se, quod est impossibile in rebus creatis et finitis, et loquendo cum proportionem de identitate vel distinctione in re inter se oppositis.

Quod autem actiones illæ, scilicet, prædeterminativa Dei, et qua præstat consensus, sint in re ipsa distinctæ juxta illam positionem, probatur argumentis jam factis, scilicet, quia prior actio, quæ est a solo Deo, non est vitalis; actio vero per quam fit consensus, est vitalis; unde illa adæquate est a principio extrinseco, tanquam a causa totali et unica; hæc vero essentialiter est a principio intrinseco vitæ, et adæquate est ab illo, id est, a voluntate, et a principio gratiæ quo juvatur, et a Deo, ut prima causa, etiam in ordine supernaturali. Item prior actio solius Dei dicitur esse vera causa realis actionis consentiendi, et prior non solum ratione, sed etiam in re vera prioritate naturæ, quæ omnia evidenter concludunt aliquam distinctionem in re, qualiscumque illa sit; hoc enim parum ad præsentem demonstrationem refert; quamvis si omnia indicia adducta vera essent, satis ostenderent realem distinctionem, si attente ponderentur.

Superest ut probemus hujusmodi actionem solius Dei, quasi mediam inter actus vitales et indeliberatos voluntatis ex una parte, et liberum consensum ex alia, intelligi non posse nec credi debere; quod in minori propositione prioris syllogismi subsumptum est. Id autem probatur, quia talis actio nullum terminum habere potest, nec sine termino esse potest. Quia si est actio, necesse est ut per illam aliquid fiat, maxime quia non est actio immanens, sed transiens, de qua nullus hactenus dixit posse esse sine termino. Vel certe si quis contendat non esse actionem formali-

ter transeuntem, quia est solius Dei, licet hoc falsum sit, tamen, illo dato, multo magis necessarium est ut illa actio vel motio, prout recipitur in voluntate, sit aliquis terminus productus a solo Deo per actionem formaliter manentem in ipso, et transeuntem quoad efficaciam, ut alii loquuntur. Consequenter ergo loquendo, in quacumque opinione necessario fatendum est illam actionem Dei habere proprium terminum in re ipsa distinctum ab omni actu vitali, tam indeliberato quam deliberato. Quia si actio est distincta, et a distincto principio per se et ex natura sua, necesse est ut terminus sit distinctus; maxime quia rationes factæ de distinctione actionum probant etiam distinctionem inter terminos.

Quis ergo esse aut cogitari potest terminus talis actionis? Profecto necesse est esse qualitatem aliquam, quia non potest in alio prædicamento collocari; in prædicamento autem qualitatis erit habitus vel dispositio; nam de aliis speciebus constat sub illis collocari non posse. Habitus autem non est, quia non est permanens, nec habet esse fixum in voluntate, sed solum durat quamdiu operatur voluntas; erit ergo tanquam dispositio fluens. At neque hoc modo intelligi potest, quia imprimis non est dispositio tanquam actus secundus; quia hæc dispositio est actus vitalis ejus potentia, quam disponit; hæc autem qualitas non est actus vitalis, ut ostensum est. Nec etiam est dispositio tanquam actus primus; tum quia si voluntas habeat habitum infusum, non indiget alio actu primo; si vero caret habitu, per actualem cooperationem ipsiusmet Dei superioris ordinis potest sufficienter suppleri efficientia habitus; tum maxime quia, si daretur talis qualitas ubi necessaria esset ad supplendam efficientiam habitus, non tamen esse posset prædeterminativa libertatis, sed potius subjecta dominio ejus, quoad usum seu influxum in liberum consensum; quia nulla qualitas creata inhærens voluntati videtur potens ad privandam voluntatem dominio in suum actum, vel certe si talis qualitas est possibilis per modum actus primi, illa non relinquit libertatem in consentiendo; ergo talis qualitas per modum actus primi admittenda non est juxta principia fidei; nullo ergo probabili aut verisimili modo intelligi potest.

Ut melius possit inter utriusque partis rationes collatio fieri, et earum gravitas ponderari, operæ pretium visum est argumenta omnia, quæ in variis locis apud auctores contra-

riæ sententiæ dispersa inveniuntur, in unum locum congerere, et quantum ponderis unumquodque habeat brevissime declarare. Possunt autem illa argumenta ad nostra capita reduci, juxta triplex fundamentum in quo potest illa sententia niti, scilicet, vel in dependentia causæ secundæ a prima, vel in indifferentia liberi arbitrii creati, vel in defectu virtutis, quem voluntas humana ex natura sua habet ad eliciendos actus supernaturales. Ad primum ergo caput pertinent rationes sequentes.

Prima ratio est, quia omnis causa secunda indiget consursu primæ, qui non tantum sit influxus in effectum, sed etiam in causam; ergo etiam voluntas humana indiget ad operandum influxu Dei, qui non solum sit in actum ejus, sed etiam in ipsamet voluntatem, ut in causam sui actus. Hic autem Dei concursus, quoad hunc duplicem influxum, ita comparatur, ut influxus in causam sit prior natura quam in effectum, et quam actio causæ secundæ circa eundem effectum; quia influxus in causam est aliquo modo causa actionis ipsius causæ secundæ, quia facit eam operari; et ideo est etiam talis motio ut efficaciter inferat actionem ejusdem causæ secundæ, quam efficaciter applicat ad agendum. Ergo eodem modo se habet Deus quando cum voluntate humana concurrat; nam prius influit in ipsam, et per illum influxum efficaciter facit ut ipsa operetur, quod est physice et efficaciter determinare illam ad operandum; ergo similis influxus prævius, et in suo ordine efficax, necessarius est ad supernaturaliter operandum. Prima propositio de duplici influxu primæ causæ in causam secundam, et in effectum ejus, est fere unicum fundamentum hujus doctrinæ; et ideo vane multiplicantur media ad illud persuadendum, quæ statim proponemus.

Nos enim absolute negamus illam propositionem in sensu ab his auctoribus intento; nam in alio, qui ad rem præsentem non pertinet, vera est, ut facile intelligi potest. Nam causa secunda, priusquam operetur, intelligi debet sufficienter constituta in actu primo, et cum omnibus conditionibus prærequisitis in eodem actu primo, ut possit in actum secundum prodire, seu actionem suam exercere. Certum ergo est necessarium esse influxum Dei in causam secundam, quo det et conservet illi esse, et omnem virtutem, seu formam, vel conditionem necessariam ad operandum, et in hoc sensu verum est causam primam, quando concurrat cum secunda, non solum

influere in effectum, sed etiam in ipsam causam. Alio vero modo intelligitur illa propositio ab illis auctoribus, nimirum causam secundam, habentem in suo genere totam intrinsecam virtutem, vel inhærentem formam necessariam ad agendum, et habentem passum vel objectum sufficienter applicatum, ac denique constitutam cum omnibus conditionibus requisitis ex parte causarum secundarum, semper indigere, ut actualiter operetur, novo influxu Dei in ipsamet causam, præter influxum et cooperationem cum ipsa, quæ in ipso effectum est necessaria. Hic enim sensus est necessarius ut possit ex illa propositione aliquid concludi de auxilio physico prædeterminante voluntatem. In hoc ergo sensu negamus illud principium, quia nullum habet solidum fundamentum, sed multiplicat influxus qui vix concipi possunt, nedum persuaderi, idque sine ulla necessitate. Quis enim credat solem, verbi gratia, præter suum esse et suam lucem, et suum motum, et applicationem aeris sine ullo interjecto medio impedimento, indigere nova impressione, quam Deus in ipsomet sole facit, ut illuminet, ac deinde indigere novo influxu Dei in ipsamet lumen quod a se profluit. Vix enim Philosophi et Theologi demonstrant necessitatem influxus immediati Dei in ipsum effectum et actionem causæ secundæ, et ideo non defuit unus, Durandus, vel si quis est alius, qui necessitatem hujus immediati influxus divini negaverit; solumque convincitur errasse, quia ipse effectus et actio causæ secundæ habet aliquid entitatis participatæ; et ideo necesse est ut immediate pendeat a prima causa, tanquam ab immediato esse per essentiam. Alter vero influxus in causam non est necessarius propter hanc immediatam dependentiam omnis effectus et omnis entitatis participatæ a prima causa; nam hæc sufficientissime constituitur per solum immediatum concursum Dei in effectum et actionem causæ secundæ; ergo cum jam supponatur causa secunda cum integra virtute, et aliis requisitis ex parte sua ad operandum, alter influxus in ipsam supervacaneus est; sed videamus alias rationes quibus illa prima propositio probatur.

Cabezudo, 3 p., q. 62, art. 5, q. 1. — Secunda ergo ratio est, quia causa secunda quando actu operatur, aliquam perfectionem habet quam antea non habebat; ergo habet illam per influxum causæ primæ. Antecedens (inquit quidam illorum auctorum) patet

ex illa communi propositione omnium Philosophorum: Omne genus naturale quando agit, perficitur; quia res certa est causam secundam, quando actu operatur, esse perfectiorem quam quando non operatur. Prima vero consequentia nota est, quia nulla perfectio habetur sine influxu causæ primæ; imo de hac perfectione recte concluditur esse a sola illa, quia non est ex influxu ejusdem causæ secundæ, in qua recipitur, quia ad hoc datur ut ipsa agat vel agere possit, et influxus cujuscumque alterius causæ præter primam per se necessarius non est.

Respondemus tamen antecedens esse falsum loquendo universaliter de omni agente, et formaliter, quatenus agens est; nam agens actione transeunte non perficitur agendo, loquendo proprie de perfectione intrinseca et inhærente, de qua argumentum procedit. Suppono enim ut veram, receptam Aristotelis sententiam, actionem transeuntem esse in passo, et non in agente; quod si in illo non est, profecto illud perficere non potest, sicut mea creatio vel quælibet actio extrinseca Dei ipsum non perficit, sed perfectum ostendit. Sed aiunt, licet sit probabile actionem ipsam transeuntem non perficere agens creatum, nisi denominatione extrinseca, non tamen esse probabile quod tale agens creatum non recipiat aliquam intrinsecam perfectionem, quæ sit motio divina, per quam constituatur in ratione agentis. Alias, inquiunt, sequeretur quod intrinsece et realiter non se haberet aliter quam antea se habebat; quod est evidenter falsum.

Verumtamen in his omnibus verbis nullam probationem inveno, sed solam repetitionem assertionis, cum exaggeratione verborum, quæ modestum ac prudentem lectorem movere non debet. Si enim est evidens, agens, quod solum operatur per actionem transeuntem, aliter se habere quam prius, inquiri an hoc sit notum ex terminis, an per medium aliquod demonstretur. Primum nec dici nec cogitari potest; quia habere se aliter quam prius est moveri seu mutari; agens autem ut agens non dicit quod moveatur, sed quod moveat et agat; ergo ex vi illorum terminorum non est immediata connexio inter illos, ut illa propositio dici possit per se evidens, seu nota. Si autem est evidens ex medio demonstrativo, cur non affertur et conficitur demonstratio, sed solum affirmatur esse certum et evidens causam secundam perfici agendo? At profecto Aristoteles, 3 Physicorum, contra-

riis rationibus probat actionem transeuntem non esse in agente, quia agens ex vi suae actionis non mutatur, et consequenter nec perficitur de novo.

Unde cum dicitur causa secunda necessario recipere perfectionem ex motione divina, per quam constituitur in ratione agentis, aut intelligitur formaliter et proprie in ratione agentis in actu secundo, ut vox ipsa indicat, et hoc est plane falsum; quia sic constituitur in ratione agentis per ipsammet actionem, quae non est in ipso sed in passo; et ita non est illa constitutio intrinseca, sed per solam denominationem extrinsecam; nam esse agens, ut sic, non est esse id in quo aliquid actu recipitur; sed est esse id a quo aliquid actu manat. Omittit relationes inde resultantes, quia nihil ad rem praesentem referunt. Si vero intelligitur causa secunda constitui in ratione agentis radicaliter, vel (ut ita dicam) praesuppositivè, quod dici potest in actu primo ultimate completo, sic qua facilitate asseritur et non probatur, contemnitur; quia non sunt multiplicandae motiones inintelligibiles sine necessitate, nec perfectiones similiter non necessariae, cum supponatur causa secunda sufficienter perfecta in actu primo cum reliquis circumstantiis ex parte illius necessariis, et prima causa, intime illi assistens, immediate influens in eandem actionem et effectum, immediatione virtutis et suppositi. Quid ergo necesse est fingere novam virtutem actualem quae causam secundam iterum perficiat? Adde quod post impressam hanc virtutem in illo priori naturae, nondum est causa actualiter agens; ergo si agens ut agens perficitur agendo, oportebit talem causam iterum perfici agendo in secundo instanti naturae, vel certe jam agens, ex eo quod agit, non se habebit aliter quam prius. Quod si hoc concedatur de agente, quod jam supponitur plene constitutum et applicatum in actu primo, et hoc modo nos dicimus se habere agentia creata sine illa ficta motione, si alioqui habeant virtutes suis effectibus proportionatas; nam si in causa secunda sit defectus virtutis, suppleri poterit per actionem causae primae, sed id non erit ex vi generalis dependentiae in agendo, sed ex alia peculiari indigentia.

Unde loquendo de agentibus actione immanenti, ut est voluntas, de qua tractamus, licet sit verum tale agens perfici agendo quatenus in se recipit formam quam producit, et ipsammet actionem, vel potius passionem, quae solet propterea perfectiva appellari, non tamen potest inde inferri perfici tale agens per mo-

tionem praeviam, quae a solo Deo in ipsa voluntate fiat prius natura quam in eadem fiat actus ejus, quia potius perficitur perfectione comparata et consequenti, ut sic dicam, ad ipsam actionem. Unde cum dicitur perfici agendo, non intelligitur formaliter, sed active et causaliter, quia per actionem suam fit in ea nova perfectio. Si autem praeter hanc necessaria esset alia perfectio per divinam motionem, per illam potius perficeretur ad agendum quam agendo, et hanc perfectionem negamus esse necessariam, etiam in agentibus actione immanenti, ex vi dependentiae, quam habent a prima causa, quia sine tali motione possunt habere completam virtutem in actu primo cum omnibus conditionibus requisitis. Quod si aliquando vel respectu aliquorum actuum illam non habent, pertinebit ad auctorem naturae vel gratiae supplere illum defectum; non tamen propter dependentiam essentialem causae secundae, ut sic, sed propter aliam specialem improportionem vel indigentiam.

Tertia ratio sit, quia quotiescumque causa secunda operatur aliquid, ibi intervenit factum a solo Deo; ergo intervenit motio efficax, qua Deus movet causam secundam ad agendum. Consequentia videtur per se clara, quia nihil aliud esse potest quod a solo Deo fiat, nec aliquid potest fieri a solo Deo, nisi per propriam et singularem ejus motionem, quam necesse est esse priorem actione causae secundae, cum Deus sit causa prior, vel potius prima. Antecedens autem probatur; nam hoc complexum, scilicet, *causam secundam agere*, est aliquid creatum quod antea non erat; ergo produci- tur ab ipso Deo: *Si enim*, ait quidam, *in actuali operatione non dependet causa secunda a prima causa, jam est aliqua ratio realis, in qua non pendeat ab illa*. Quae verba sunt citati auctoris, qui vocat hanc demonstrationem, et alio loco adhibet aliam mirabilem probationem, scilicet: *Quando ego habeo contritionem, tamen non possum causare totum hoc completum, quod est me habere contritionem, quia ego ipse in illo sum inclusus, et non possum causare meipsum; ergo tota illa veritas complexa causatur a Deo, atque adeo procedit motio illius*.

Sed haec ratio indigna est viro Theologo. Respondetur ergo negando antecedens. Quamquam etiam prima illa consequentia sit valde infirma, quia posset quis facile dicere concursus proprium Dei ab ipso solo fieri, non tamen esse motionem praeviam, sed influxum concomitantem. Re tamen vera antecedens

est falsum, et sine ulla necessitate aut verisimili probatione assertum; nam licet in omni re creata, et consequenter in omni agente creato, supponatur aliquid factum vel conservatum a solo Deo, tamen in ipsamet actione causae secundae non est necesse addi aliquid factum a solo Deo. Ut, verbi gratia, in illuminatione solis, supponitur in ipso sole, et substantia, et lux indita et conservata a solo Deo; tamen in actuali illuminatione, quae a sole procedit, nihil in re ipsa est seu additur quod a Deo solo fiat; illuminatio ipsa non fit a solo Deo, sed simul a luce solis, et inter illuminationem et lucem nihil mediat quod a solo Deo fieri necesse sit. Idem in supernaturalibus actibus intelligendum est, servata proportione. Nam ut voluntas eliciat supernaturalem actum, supponitur in ipsa sufficiens virtus obediens et supernaturalis indita per infusionem habitus, vel alia praeventia et sufficientia auxilia quae Deus in nobis sine nobis operatur. Tamen in ipsa actuali efficientia contritionis, verbi gratia, nihil additur vel intervenit factum a solo Deo; quia ipsamet contritio, seu actio per quam fit actus contritionis, non fit a solo Deo, sed simul a voluntate elevata et Deo; inter hanc autem actionem, et virtutem sufficientem a Deo inditam ad illam efficiendam, nihil mediat neque est necessarium ad dependentiam causae secundae a prima, neque ad aliquem intelligibilem effectum.

Unde ad primam probationem respondetur hoc complexum, quod est *causam secundam agere*, fieri quidem a Deo, sed non a solo Deo, nam illud complexum immediate et formaliter resultat ex hoc quod actio propria manet a causa secunda. Unde tantum abest, ut illud complexum fiat a solo Deo, ut implicet contradictionem fieri a solo Deo; quia si solus Deus esset causa illius, jam causa secunda non ageret, et ita falsum vel nullum esse tale complexum. Quocirca, licet daremus dari praeviam motionem solius Dei in causam secundam, per illam non fieret tale complexum, quod est causam secundam agere, donec intelligatur prodire actio a causa secunda, sic vel sic disposita. Est ergo talis motio etiam impertinens ad hunc effectum seu complexum, ut ille loquitur; nam in re nihil complexum fit, sed compositum, vel denominatum per modum compositi, et ita causam secundam agere nihil aliud est quam constitui vel denominari actu agens, quod habet ab actione quae ab illa fluit.

Et ideo extra rem etiam est illa prima probatio, quod si causa non penderet a Deo in actuali operatione, jam aliquid reale non penderet a Deo. Quis enim unquam negavit pendere creaturam a Deo in actuali operatione? Sed quod dicimus, est, hanc dependentiam solum in hoc consistere, quod ipsa actio et operatio creaturae habet majorem magisque essentialem dependentiam a prima causa quam a secunda; et in hoc quod causa secunda, ex imperfectione et indigentia sua, indiget cooperatione et influxu ipsiusmet Dei in suam actionem et effectum. Non vero consistit in hoc quod causa secunda, constituta in sufficienti actu primo ad agendum, expectat novum influxum solius Dei, et priorem suamet actione et operatione, ut eam exerceat, quia (ut saepe dixi) ille influxus medius sine fructu et fundamento fictus est. Et in praesenti ad constituendum illud complexum, scilicet *causam secundam agere*, est impertinens.

Ad alteram probationem, respondetur in hoc complexo, *me esse contritum*, vel causam secundam agere, concludi meipsum seu causam secundam tanquam subjectum denominatum a sua actione, et ideo, ut ego me faciam contritum seu contritionem habentem, non est necesse facere materiam vel subjectum, sed satis est inducere formam. Quis enim neget hoc complexum, *aquam habere calorem*, fieri ab igne immittente calorem in ipsam? Et, quod gravius et ad rem praesentem propinquius est, quis neget hominem se disponere ad gratiam, aut efficere se dispositum, eo quod non faciat seipsum, cum ita loquatur Concilium Tridentinum, et Scriptura dicat hominem sanctificare se, et vivificare animam suam, verum amorem et poenitentiam eliciendo? Cavendum ergo est ne ex verbis aut rationibus inordinate prolatis, vel non satis consideratis, inducatur error.

Quarta ratio eo etiam tendit, ut probet illud principium, *in actione causae secundae necessarium esse intervenire aliquid, et praevium, factum a solo Deo*. Nam dum causa secunda operatur, tria ibi interveniunt, scilicet, virtus operandi, operatio, et virtutem illam excitari, applicari ac moveri ad operandum; ergo Deus non solum facit primum et secundum, sed etiam tertium, quia illud etiam est aliquid reale, et nihil reale esse potest sine influxu Dei. Illud autem tertium non fit ab ipsa causa secunda, sed solum fit in ipsa, quia ipsa non potest se excitare, et movere, seu applicare